

*Theodorus Beza, Hugo Grotius & reliqui, qui vel manifeste docent, Græcum N. T. textum multis in locis esse corruptum, vel tamen licentiam criticam effrenem in mutando eodem affectant. Atque illi quidem ad varia loca provocant, in quibus difficultates insuperabiles dentur: v.g. ad locum *Luc. III, 36.* de Cainane secundo; sed de his omnibus, nec non de variis lectionibus N. T. in Parte II. agetur.*

Nuper prodiit *Job. Millii* Theologi Londinens. *N. T. græc. in fol.*, in quo innumeræ variæ lectiones seu potius sphalmata occurrunt.

TRACTATIONIS EXEGETICÆ

PARS II.

INTRODUCTIO IN SCRIPTURAM
SACRAM.

CAP. I.

- DE

INTRODUCTIONE HISTORICA.

§. I.

Introductio in Scripturæ sacræ tractationem vel generalis est, vel specialis; illa continet introductionem Historicam, Philologicam & Theologicam strictissime sic dictam.

Notanter dicitur in Tractationem Scripturæ sacræ, quia introductio in lectionem Scripturæ sacræ hoc loco non sufficit.

§. II.